

thedris, dum Conceptionem Immaculatam Virginis prae-
 eant, aut defendunt, probris, & injuriis sententiam opposi-
 tam infectantur. Si ergo daretur definitio ex Cathedra sta-
 tuens sententiam Immaculati Conceptus certam etiam in-
 fra fidem, sed tamen cum certitudine infallibilis veritatis,
 quis cohiberet linguam malignantium, ne fieret gladius acu-
 tus, & evomeret conviciorum venena contra quoscumque, qui
 hucusque impune sententiae contrariae adhaeserunt, sive sint
 Sancti Patres, sive Doctores Ecclesiae, sive scholarum Magistri,
 sive Ordines Religiosi de Ecclesia bene merentes? Utrum hoc
 expediat, judicent piissimi viri, qui definitionem exquirunt.

Quod ex definitionibus Pontificis impudentes homines
 saepe ansam suscipiant insultandi viris probis, & Sanctis,
 non sunt exquirenda antiquitatis exempla, dum habemus re-
 cens praesens oculis. Clemens XI. zelo fidei, & puritatis doctrinae,
 quo flagrabat, Constitutionem edidit, qua incipit, *Unigenitus*,
 qua sancte, & juste damnavit centum & unam propositiones
 Paschalis Quesnelli. Refractarii, ut de pervicaci inobediencia
 se excusarent, renuerunt parere Constitutioni; quia per
 illam dicebant damnari doctrinam Divi Augustini, & Divi
 Thomae de gratia efficaci. Alii scholae Thomisticae semper
 infesti primo palam, deinde clanculum submurmurabant,
 Thomistarum doctrinam fuisse proscriptionem. Huic malo ita-
 tum occurrit justissimus Clemens, aliamque Constitutionem
 edidit, qua incipit, *Paschalis*, in qua §. 3. dolet de Refra-
 ctariis, qui (sunt verba Constitutionis signanda lapillo) *qui
 ut pessima cause splendidam patrocinium concilient, praesertim
 que Constitutioni (Unigenitus) majorem undecumque invidiam
 faciant, se ab ea suscipienda retardari affirmant, eo quod suspi-
 centur per illam damnari sententias, atque doctrinas, quas
 insignes Catholicorum scholae absque ulla censura habentis ten-
 uerunt, ac tradiderunt. Caterum in hoc ipso praepostero ju-
 dicio consuetum calumniandi morem non relinquunt. Nisi
 enim eos excacaret malitia eorum, ac nisi diligerent magis
 tenebras, quam lucem, ignorare non deberent sententias il-
 las, & doctrinas, quas ipsi cum erroribus per nos damnatis*